

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1879**

1241

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

272. Berhtoldus decanus et Heinricus archidiaconus Argentinenses fratres dicti de Ohsenstein fratri suo O[ttoni] domino de Ohsenstein et universis pueris suis omne allodium suum in Bûthenheim situm, quod ipsis ex parte Adelheidis sororis, uxoris quondam domini Bernandi de Sharoch, post illius mortem succedere debebat, tradunt et donant. «quod nos duo». actum anno domini 1241, mense januario, 5 die dominica proxima ante purificationem beate virginis Marię. 1241 Januar 27.

*D aus Darmst. G. St. A. fonds Hanau-Lichtenberg nr. 9 or. mb. c. 2 sig. pend. delapsis. Gedruckt darnach i. d. Zeitschr. f. Gesch. d. Oberrh. XV, 153.*

273. *Das Straßburger Domcapitel bestätigt auf Bitten des Basler Domsängers Hugo der Kirche von Werd den alten Brauch eines kleineren Zehnten von ihren 10 Ruffacher Besitzungen. 1241 Mai 22 Straßburg.*

Arnoldus prepositus, Bertholdus decanus totumque capitulum Argentinensis ecclesie viris discretis . . . preposito totique capitulo ecclesie de Werde<sup>1</sup> salutem in auctore salutis. viro discreto H[ugone] cantore Basiliensi concanonico vestro nobis intimante didicimus, quod, cum quasdam vineas et terras sitas in Rubiaco ab 15 antiquo vobis ab ecclesia nostra collatas teneatis, nec plenarie decimas sed quandam certam portionem nomine decimarum, videlicet sex amas melioris vini et unum quartale frumenti, ab antiquo ecclesie nostre ex eisdem persolvistis. qui ex parte vestra nobis supplicavit, quod eadem pensione, que a longe retroactis temporibus dari consuevit, contenti ecclesie vestre consuetudinem antiquam in hac parte servare 20 vellemus. quia vero vos et ecclesiam vestram membrum ecclesie nostre Argentinensis honorare volumus, sicut debemus, petitionem predictam cantoribus non solum propter ipsius honestatem verum etiam ob vestre ecclesie dilectionem dignam duximus admittendam, sic tamen, ut consuetus honor nostris nuntiis in autumnno apud Rubiacum existentibus ab ecclesie vestre nuntiis exhibeatur. ut autem hec firma 25 et inconvulsa permaneant, presentes litteras nostri capituli sigillo fecimus roborari. datum Argentine anno domini 1241, 11 kalendas junii.

*Aus d. Solothurner Wochenblatt 1821 S. 374 nach einem Vidim. des Bischofs Johann von Straßburg, 1323 Mai 29 (die dominica proxima post festum s. Urbani).*

274. *Bischof Berthold von Straßburg befreit das Frauenkloster St. Marx 30 daselbst von allen Steuern und Diensten im bischöflichen Territorium. 1241.*

B[ertholdus] miseratione divina Argentinensis episcopus omnibus Christi fidelibus hanc nostram litteram inspecturis salutem in perpetuum. quamvis in nobis religionem necessariam non habeamus, in aliis tamen eam esse diligimus et confovere tenemur. hinc est quod nos famulabus dei sancti Marci nostre civitatis sororibus 35 ob devotionem earum erga deum laudabilem et conversationem sanctam omnes collectas, servitia et exactiones quaslibet de bonis et possessionibus ipsarum in

<sup>1</sup> Cfr. nr. 214.

villis, burgis ac jurisdictionibus nostris, que nos in totum vel in partem deinceps contingere debebunt, in jam habitis et habendis, de tocus capituli nostri consensu et voluntate plenaria, sive possessiones eedem, priusquam ad eas pervenerint, in collectis aut exactionibus aliquibus fuerint onerate, sive non, in perpetuum, ut habundantius et quietius domino famulari valeant, remittimus et relaxamus omnino statuantes et sub interminatione divina prohibentes, ne quis in personis, rebus, possessionibus, juribus earundem, que omnia sub protectione nostra speciali pariter et defensione paterna suscepimus, audeat offendere vel aliquatenus molestare presumat. et si quisquam fecerit, quod absit, iram et indignationem omnipotentis dei et beate Marie virginis, quorum ministerio fungimur quamvis indigni, necnon et nostram se noverit incursum. quare ut pia remissio nostra memorata robur utique debitum et inviolabilem optineat firmitatem, presens exinde instrumentum utpote publicum et sollempne sigillis nostro et capituli nostri decrevimus sollempniter communiri. acta sunt hec anno 1241.

15 *H aus Straßb. Hosp. A. lad. 89 fasc. 39 or. mb. c. 2 sig. pend.*

275. *Bischof Berthold von Straßburg beurkundet, daß Demud die Aebtissin des Straßburger St. Stephansklosters die Hälfte des Boofzheimer Zehnten dem Cleriker Petrus auf Lebenszeit gegen einen jährlichen Getreidezins übertragen habe. 1241.*

20 Bertoldus dei gracia Argentinensis episcopus universis presens scriptum inspec-  
turis rei subscripte fidem adhibere. quoniam ea, que fiunt in tempore, recedunt  
cum tempore, nisi literarum testimonio et voce testium immobile trahant funda-  
mentum, noverint tam presentes quam futuri, quod Demüdis abbatissa sancti  
Stephani ad nostram instantiam et in nostra presentia, accedente consensu sui  
25 capituli, medietatem decime in banno Boffisheim, que suo monasterio per ante-  
cessorem nostrum Heinricum dictum de Veringen pie memorie Argentinensem  
episcopum justicia mediante fuit adjudicata, sicut in ipsius domini literis plenius  
vidimus contineri<sup>1</sup>, Petro clerico nostro pro viginti quartalibus siliginis et viginti  
30 ordeï duxit concedendam sub hac forma ita, quod idem dictam decimam non suo  
sed prefati monasterii nomine, quam diu vixerit, possideat et quod ad ipsum  
monasterium post ejus decessum, non obstante contradictione qualibet suorum  
successorum, libere revertatur et absolute. presentabit autem dictus Petrus prenomi-  
natam pensionem suis sumptibus Argentine annuatim. ad sopiendam itaque omnem  
35 in posterum cavillandi materiam presens scriptum nostro et domini Arnoldi majoris  
prepositi et domini Heinrici majoris thesaurarii et domini Eberhardi prenominati loci  
archidiaconi sigillis fecimus communiri. acta sunt anno domini 1241, presentibus  
dictis dominis et aliis testibus quam pluribus.

*B aus Straßb. Bez.-A. E fasc. 1077 or. mb. c. 4 sig. pend. delapsis.*

<sup>1</sup> *Cfr. nr. 155.*